B-XII-16

COLLIGATIO ANGELICA

EX

Summa Doctoris Angelici deducta

sinè

Originali labe Conceptæ Virgini & Matri

Ineffabili, Verbi Incarnati Mysterio fæcundandæ

In

Obsequium

CONSECRATA

SIVE

QVÆSTIONES THEOLOGICÆ

De

ANGELIS, BEATITVDINE & ACTIBVS HVMANIS,

Iuxtâ

Inconcussam Divi THOMÆ Doctoris Angelici

DOCTRINAM

DEIPARÆ VIRGINI

ANGELORUM

REGINÆ

cum

Submissa Veneratione

DICATÆ

Anno

Qvo Christus de Virgine sinè omni Labe nasci dignatus est

MD CC XXI.

Mensis Die Decembris.

CRACOVIÆ

Typis IACOBI MATIASKIEWICZ S. R. M. Typographi.

SVB
Faventiſsimis Auſpicijs
Admodum Reverendi Patris
BRVNONIS
JANICKI,
Fratrum Eremitarum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ,
SS. THÆOLOGIÆ DOCTORIS
EXIMII
Per
Vtramq; Poloniam, Silesiam, & Pomeraniam,
Prioris Provincialis
Digniſsimi.
Præſide
R. P. REMIGIO SCISLOWSKI,
EjuſdemOrdinis, ſacroſanctæ Theologiæ actuali ac Ordinario
Profeſsore.
à
Venerabili Patre Erneſto GIERCZYNSKI
Ordinis ejusdem Profeſso,
Sacroſanctæ Theologiæ Auditore
Publicè
PROPVGNATÆ
Caſimiriæ ad Cracoviam, In Conuentu
Rupellano Sancti STANISLAI.

IMMACVLATISSIMA VIRGO MARIA,

AD quorum Nutum cœlestes gyrantur Orbes, nutibus Tuis Aquinaticâ pennâ colligati consecrantur Angeli, Angelorũ Domina & Regina *Mirantur conceptum Tuum, Verbo Incarnato fœcundanda Parens!* (*cujus exordio, DEUS exordij nescius, ipsaq; obstetricabatur gratiæ plenitudo, quæ Tibi vetuit quidquam edere de Paradisi Cupedijs, qvas halitu suo temerarat serpentis vicinia. Meliore namque alimento nutriri volebant astra Virginem, DEUM post alituram; à prægustato enim mortis obsonio, non aptè auspicia viuendi sumeret vita altrix, cui cælum rapere libuit, dum alijs pomum. Una es prætergressa Legem*: Omnes In Adam peccaverunt, *in qua Tecum supremus Legum Legislator DEUS dispensavit, antè Conceptum; hæres gratiæ facta, dum alij vindictæ. Stupet Natura, quod in primo instanti Conceptionis tuæ mutarit ordinem; alibi enim illa gratiam, hîc eam præcedit gratiâ; ordo præposterus, sed necessarius! priùs enimverò ali gratiâ, quàm lacte debuit Peraugusta Virgo, Æterni Patris Filia, Filij Mater, Spiritus sancti sponsa, à cujus deinde ubere pependit author ipse gratiæ. Nihil hucusq; assignatum esse in Universo, quod Angelorum exigeret Existentiam, approbo Theologus; sed Orator dico: DEIPARAM esse, quam, ab æterno prævisam, in tempore orituram, ut in omnibus vijs suis, adeoq; etiam in primo exortu, à*

morsu ex orco custodirent, in suisq́ portarent manibus, nè in minimo unquàm offenderet pedem, Angelis suis DEUS mandavit: Una DEO inferior MARIA, graduum inter se celsitudine differentes superat spiritus, non Naturæ dignitate, sed donorum Excellentiâ. In supremo ordine Cælestis Hierarhiæ, seraphinos collocavit amor; DEI Genitrix Virgo, adeò in amore DEI excelluit; ut de sinu Patris Verbũ Unigenitum in Cor suum diraxerit. Rapiûs Ream Cœlum proclamaret, nisi ex amoroso in Genus humanum excessu, ipse filius se se rapiendum offerret; ablatus: quia ipse voluit. *Excedunt alios Herubim scientiâ, at non adæquant sua cognitione DEUM; Herubinorum Domina, Domini Ancilla, incarnatæ sapiẽtiæ Mater, incõprahẽsibilẽ, uno Cõceptu cõprehendit. Si effatum placet Angelici, 3. parte q. 27. A. 5.* Quantò aliqvid magis appropinquat suo Principio in quolibet genere, tantò magìs participat effectum illius Principij: *si In Puritate excedere Thronos dixero MARIAM? nemo arguet. quis namque magis Purissimo appropinquavit principio, quam Mater filio! Classis ïdæ Cælicis ordinibus, infinitudine quadam Gratiarum Cælorum Reginam supereminere? in omnipotentem, qvi erat subditus ei, demonstrat Imperium. Summus Dominatus! ac virtus maxima, etiam Numini posse imperari. Infimæ tandem Hierarhiæ spirituales substantias, Præcelsæ DEI GENITRICI MARIÆ, substare; Ius Hæreditarium evincit in Universas orbis Creaturas. Quo Iure evincis Victrix antequam pugnax Immaculatissima Virgo, ut & Angelica Colligatio ex summa Doctoris Angelici ritè deducta, in obsequium Tuum, inexhausta gratiarum omnium virtutumque abyssus MARIA Consecretur. Martyrio stanislai tinctam Cruore Rupem, ad se consecrandum Tibi, colligatï elegerunt Angeli, ut sic, velut in Gargani Montis Vertice, unâ cum suo Principe, eorum in Tuum obsequium illustrior appareret dedicatio. Quam, cum Rupellana Ritu solemni, sub Tuo Immaculatissimo Nomine Beatissima Virgo, celebrat Congregatio, suum Tuo Triumphatrici In Primo Exortu de styge Calcaneo, dicat consecratque.*

Studium Theologicum
Rupellanum,

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

I.

DAri Angelos, fide Magiſtra diſcimus. Horũ exiſtentia, poteſt quidem ſecluſa revelatione ſolidè naturali ratione ſvaderi; non tamen evidenter demonſtrari. Non componuntur defactò, nec ſunt componibiles ex materia etiã ſpirituali, & forma. ita D. Dionyſi9, cujus, in Materia de Angelis, eſt maxima authoritas; c. 4. de Div: nomin: docet. *Angelos eſſe ſpirituales ſubſtantias incorporeas, atque omni materia carentes.* Cui accedit Doctor Angelicus hic a. 2. in O dicens: *Impoſſibile eſt quod ſubſtantia Intellectualis habeat qualẽcunque materiã.*

II.

ANgeli, non tantum vi efficacis Decreti Divini, & ab extrinſeco, ſed etiam ex Natura ſua & ab Intrinſeco ſunt Incorruptibiles; ita D. Tho: hic a 5. concludente: *Ipſa Immaterialitas Angeli eſt ratio, quare Angelus eſt Incorrptibilis ſecundum Naturam.* Hæc Incorruptibilitas ab Intrinſeco tam cõnaturalis eſt Angelo, quam ſit debita igni combuſtivitas: affirmante hoc nobiſcum Cyrillo L. 8. theſaur. c. 2 ubi ait: *quæ naturis præcipue in ſunt; ea reſpectu Creatoris DEI nihil ſunt; quare ſicut Ignis combuſtivus quidem eſt, ſed non DEO, ſic & Angelus, immortalis quidem eſt, ſed non DEO;* ut pote a quo abſolute per annihilationem deſtrui poſset.

III.

FIde certum eſt maximam eſſe Angelorum multitudinem: Apocal: 5. *audivi vocem Angelorum multorum* inquit ille, qvi ſcientiam è pectore veritatis hauſit, Diſcipulus dilectionis. Quis verò in particulari eorum ſit numerus? ſoli Conditori notum eſt. Nobis interim certum manet: omnes Angelos de factò diferre inter ſe ſpecie; & quidem ità, ut abſolutè repugnet eos ſolo numero intrà eandem ſpeciem multiplicari. qva certitudine firmiter adhæremus Doctori Angelico hic q. 50. a. 4. in O dicenti: *ſi Angeli non ſunt Compoſiti ex Materia & forma, ut dictum eſt ſupra, ſequitur, quod Impoſſibile ſit eſſe duos Angelos unius ſpeciei.*

IV.

ANgelus eſt in loco formaliter per operationem; qvi licèt naturaliter non poſsit eſſe ſimul in pluribus locis adæqua-

tis; poteſt tamen eſse in inadæquatis diſcontinuis & inter ſe diſtantibus, contentis tamen intra ſpheram activitatis ſuæ, abſqve eo qvod ſit in medio. Primum expreſsè S. Doctor habet in quodlibeto *1.* a. *4.* ubi ſic *ſicut Corpus eſt in loco per contactum dimenſivæ virtutis,, ità Angelus eſt in loco per contactum virtutis; ſi quis autem velit virtutis contactum vocari propter hoc, quod operari eſt proprius virtutis effectus; Dicendum, quod Angelus eſt in loco per operationem.* Secundùm inde probat, quod ſit Angelus virtutis finitæ. Tertiũ verò, quod ſit in loco per liberam ſuæ virtutis applicationem ad illum.

V.

ANgeli poſsunt moueri verè localiter, non ſolum motu continuo, ſed etiam diſcreto, poſsuntque naturaliter tranſire ab uno extremo diſtante ad aliud diſtans, non tranſeundo per medium.

VI.

ANgelos intelligere ex fide manifeſtũ eſt, cùm eis attribuatur Viſio DEI Intuitiva. *Semper vident faciam Patris* Matt: *18.* Ad cognitionem intuitivam propriæ ſubſtantiæ, atqve accidentium ſibi unitorum, non indigent ſpecie impreſsa, cúm hæc, utpote vicaria objecti ſolùm requiratur, quãdò objectum aut abſens, aut certè non ſatis eſt proportionatum: *Unde ſequitur* inquid Angelicus *1.* p. q. *56.* A. *1.* in O *quod per ſuam formam quæ eſt ſua ſubſtantia ſe ipſum intelligat.* Ad objecta tamen extranea, ſivè materialia ſint, ſive ſpiritualia, indigent ſpeciebus impreſsis; quas non à rebus ipſis accipiunt; ſed in primo Creationis ſuæ Inſtanti immediatè à DEO habent eas Infuſas; D. Thom. hic q. *56.* a. *2.* in O dicente; *naturarum tam ſpiritualium quam corporalium rationes Menti Angelicæ ſunt impreſſæ ſecundum eſſe Intellectuale, ut videlicet per hujusmodi ſpecies impreſsas, tam Creaturas corporales quàm ſpirituales cognoſceret.* Qvo ſunt in perfectione naturali ſuperiores, cognoſcunt objecta per ſpecies univerſaliores.

VII.

POſse Angelos cognoſcere cognitione purè naturali ſecreta Cordium, & futura quæ pendent à libero arbitrio, conjecturaliter, admittimus; evidenter, negamus. Loquuntur inter ſe, ſed non diſcurrunt, etiam circà contingentia & libera. Locutio inter illos fit formaliter per ordinationem & directionem Conceptuum internorum ad alterum.

Omnes

VIII.

OMnes Angeli eodem instanti acceperunt gratiam sanctificantem juxtà mensuram perfectionis naturalis, ità, ut quo perfectiores fuerint in perfectionibus naturalibus, eò major eis fuit à DEO collata gratia, & dona supernaturalia. Qui, licet ad acceptam gratiam, primo Creationis instanti poterant se disponere; non tamen poterant peccare. ità affirmante Doctore Angelico hic q. 63. a. 5. his verbis: Dicendum: *quod impossibile fuit Angelum in primo Creationis suæ Instanti peccâsse, per inordinatum actum liberi arbitrij.*

IX.

N*Ecesse est in Angelis ponere volũtatem inquit*: S. Thom: hic q. 59. a 1. in O. Quæ, quamvis longe excellentiori, quàm humana, libero arbitrio sit prædita, tamẽ post Iudiciũ completũ, facta plena ac perfecta electione est Intrinsece Inflexibilis. ita cũ S. Tho: tenet S. Fulg. lib. de fide ad Petrũ Diac c. 3. S. Ansel. de liber. arb. & Casu Diaboli. sed omniũ Clarissime S. Laur. Iutin serm. in Fes:S. Mich. his verbis *Post electionem, sive in bono, sive in malo, Angelus immobilem habet firmitatem, ad quod enim se vèrtit, inflexibilis est.* Hac voluntatis libertate abusus Lucifer, cũ Angelis pessimæ Volũtatis suæ socijs, peccavit cõtra DEVM, peccato superbiæ; Cujus obiectũ motivũ erat beatitudo naturalis in ordinate volita. Causa potissima, & prima radix obstinat ionis in dæmonibus est Inflexibilitas liberi eorũ arbitrij.

X.

SIngulis hominibus etiam improbis & Infidelibus, singuli deputantur Angeli in Custodiam; Probabilius, eorum Custodia ab ortu nativitatis, & non antè incipit; finiturqve ultimo vitæ nostræ Instanti. Quãvis Christus Dominus Custodem Angelum non habuerit; Deiparam tamen habuisse specialem Angelum in sui Custodiam deputatum, constans & vera sententia scholasticorum tenet.

XI.

BEatitudo nostra objectiva, in nullo Ente Creato consistere potest, sed in solo summo bono Increato, in quo uno motus appetitûs plene quiescit.

XII.

BEatitudo verò formalis, nec adæquate, nec inadæquate consistit in actu voluntatis, sed in solo actu Intellectus, nimirũ: In Intuitiva DEI visione. Est abintrinseco inamissibilis. Ejus

objectum essentiale, non potest esse sola essentia Divina, sed DEVS ut est in se, Trinus; adeoq; qui per impossibile videret solam essentiam Divinam, non visis attributis & Personalitatibus, non esset essentialiter beatus.

XIII.

BEati necessariò amant Deum, tum quod speciem, tum quoad exercitium; sunt ab Intrinseco impeccabiles proximè ex natura beatitudinis. Delectatio, qva gaudent de Deo posso, elicitivè procedit ab habitu charitatis, non verò ab habitu fidei, aut spei.

XIV.

VOluntarium est, quod procedit ab Intrinseco cum cognitione finis; unde: impossibilis est pura omissio libera absque omni actu volvntatis

XV.

ACtio facta ex Metu, est simpliciter voluntaria, & solum secundùm quid involuntaria.

XVI.

COncupiscentia auget voluntarium, minuit liberum; nunquam per se causat, etiam secundũ quid, Involuntarium.

XVII.

POssibilis est actus humanus in specie indifferens; impossibilis in Individuo. Primum docet apertissime S. Hieron: Epist: 89. ad Aug. scriben: *Bonũ est continentia, malum est luxuria, inter utrumq; indifferens ambulare* &c. secundũ D. Thom: q. 18. a. 9. in O dicens *necesse est omnem actum hominis à deliberata ratione procedentem in individuo consideratũ, bonum esse vel malũ.*

XVIII.

VOluntas è duobus bonis æqualibus, neutrum potest eligere; nec ex inæqualibus minùs bonum.

XIX.

ACtus externus actui Interno non addit bonitatem aut malitiam moralem simpliciter, in ordine ad præmium aut pœnam essentialem.

XX.

PEr se loquendo, licitum est in praxi sequi opinionem sufficienter probabilem faventem libertati; relicta probabiliore & tutiore, favente Legi; siqvidem juxta axiomata Iuris: *In dubijs melior est condicio possidentis; semper in dubijs benigniora praeferenda esse &c.* & Regulam 11. de Reg. Iuris in 6. *Cùm sunt partia Iura obscura, Reo favendum est potiùs, quàm actori.*

A. M. D. G.